

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

Die Meuterei der Soldaten Caesars

1 interea domitis Caesar remeabat Hiberis
2 uictrices aquilas alium laturus in orbem,
3 cum prope fatorum tantos per prospera cursus
4 auertere dei. nullo nam Marte subactus
5 intra castrorum timuit tentoria¹ ductor
6 perdere successus scelerum, cum paene fideles
7 per tot bella manus satiatae sanguine tandem
8 destituere ducem, seu maesto classica paulum
9 intermissa sono claususque et frigidus ensis
10 expulerat belli furias, seu, praemia miles
11 dum maiora petit, damnat causamque ducemque
12 et scelere inbutos etiamnunc uenditat enses.
13 haud magis expertus discrimine Caesar in ullo est
14 quam non e stabili tremulo sed culmine cuncta
15 despiceret staretque super titubantia fultus.
16 tot raptis truncus manibus gladioque relictus
17 paene suo, qui tot gentis in bella trahebat,
18 scit non esse ducis strictos sed militis enses.
19 non pauidum iam murmur erat nec pectore tecto
20 ira latens; nam quae dubias constringere mentes
21 causa solet, dum quisque pauet, quibus ipse timori est,
22 seque putat solum regnorum iniusta grauari,
23 haud retinet. quippe ipsa metus exsoluerat audax
24 turba suos: quidquid multis peccatur inultum est.
25 effudere minas. 'liceat discedere, Caesar,
26 a rabie scelerum. quaeris terraque marique
27 his ferrum iugulis animasque effundere uiles
28 quolibet hoste paras; partem tibi Gallia nostri
29 eripuit, partem duris Hispania bellis,

¹ **tentorium = tabernaculum**

30 pars iacet Hesperia, totoque exercitus orbe
31 te uincente perit. terris fudisse cruorem
32 quid iuuat Arctois Rhodano Rhenoque subactis?
33 tot mihi pro bellis bellum ciuile dedisti.
34 cepimus expulso patriae cum tecta senatu,
35 quos hominum uel quos licuit spoliare deorum?
36 imus in omne nefas manibus ferroque nocentes,
37 paupertate pii. finis quis quaeritur armis?
38 quid satis est, si Roma parum est? iam respice canos
39 inualidasque manus et inanis cerne lacertos.'

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Geben Sie grammatikalische Erläuterungen zu **“maesto classica ... /intermissa sono”** (Z.8/9)!
2. Wie ist **“tot raptis truncus manibus”** (Z.16) zu verstehen?
3. Erklären Sie den Sinn von **“paupertate pii”** (Z.37)!